

F.K.
124,
15.

X1903414

II n
4387

AD
 SERENISSIMUM PRINCIPEM
 AC DOMINUM,
 DN. LUDOVICUM,
 HASSIÆ LANDGRAVIUM,
 COMITEM IN CATTIMELIBOCO,
 DIEZA, ZIEGENHAINA, NIDDA,
 ISENBURGO ET BUDINGA, &c.
 OB EXOPTATISSIMUM CELSI-
 TUDINIS SUE ET SERENISSIMÆ
 PRINCIPIS AC DOMINÆ,
 DOMINÆ MARIÆ
 ELISABETHÆ,
 SERENISSIMI PRINCIPIS,
 DN. FRIDERICI, HEREDIS NORWEGIÆ,
 DUCIS SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ
 ET DITHMARSIAE, &c.
 FILIÆ PRINCIPIS,
 NUPER AUSPICATISSIMO FOEDERE
 CONJUGALI CELSITUDINI SUE JUNCTÆ
 ADVENTUM.
 INTER PUBLICA VOTA PRECESQUE
 GRATULATIO HUMILIMA,
 JOHANNIS HELVICI SINOLD,
 COGNOMENTO SCHÜTZEN, P.P.



GISSÆ HESSORUM,
 Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPFELII, Acad. Typogr.
 M. DC. LI.





SERENISSIME PRINCEPS,



UNQUAM credo, tam læta atque desiderata dies & redeuntis temporis statio horrendam hyemantemq; anni tempestatem distinxit, quàm reditus hic Tuus, concomitantisque felicitatis aspectus. Quid enim illi ad fines patriæ concursus, illæ ex oppidis effusiones, atque exundans omnium obviam TIBI prope rantium lætitia, aliud, quàm post brumales turbines illucescentem derepentinò æstatis serenitatem nobis referunt? Quæ hæctenus per campos solitudo, urbium pagorumque tristitia, & in futura etiam timor, unico reditus tui beneficio dissipari fugarique videmus. Videmus attonitos admirantium vultus, multi formes lætantium status, varios corpore motus, cuncta gaudio calere, cuncta plausibus tripudiare. Neque mentium opperta rimari opus, extat in cuiusq; vultu publicæ hilaritatis decus, atq; dedignata pectorum latebras devotio, quæ ejus sibi causæ, plusquam mille vocibus testata est.

Nempe videre tandem & Sydus illud, à quo imposte-
rum quoque felicitatem nostram, ut repetamus, cælo
debere credimus, id verò est, quod omnia summo illo
perfundit gaudio, atque ita res nostras temperat, ut &
glacialis bruma flores producere, & inter caliginosas
angorum curarumq; hyemes amabiles lætitiæ gaudiq;

A 2

oriri

oriri videantur Soles. Diu, SERENISSIME DOMINE pugnauerunt inter se commissi pudor & devotus amor: Ut felicitatem hanc quæ virtute Tuae nunc Patriæ obvenit, deprædicarem, ut cæteris gratantium vocibus meam in publico jungerem, hic urgere non destitit.

Ille vero ad rei magnitudinem, fastigiiq; Tui fulgorem oculos attollens, sollicite adhuc dehortatur: Quæ enim eloquentia concipi posset, quæ dignam afferret aut temporis gratiam, aut materiæ copiam, aut meritis Tuis facultatem? Quippe quod & de cætero de Principibus existimare nefas sit, & in vestibulo inquirentes repellat objecta veneratio, atque pro amore, quo omnes TE colere videamus, alicui de TE satisfieri difficilius sit. Et sane ingenii mei conscius, etiam nunc tacere maluissem, nisi nefas duxissem, loquentibus cæteris, tacere eum, quo nullus majores Tuæ benignitatis fructus unquam sensit. Hinc cum mihi quidem aut indiferti aut ingrati fama esset timenda, malui tãdem cum impudentia infacundus, quam cum metu videri ingratus, potiusque reprehendi temeritatem quam silentium. Dabis ergo veniam pietati meæ, si, quocunque modo possum, illam promere coner, & si in impotenti hac lætitia inconditi aliquid & parùm decori admisero, ut bonus, ut facilis, ut amans Tuorum Princeps es, clementer ignosces.

Unde vero incipiam dubius hæreo. Uti enim nihil illustrius ad dicendum, nihil gratius civibus Tuis contingere potest, quã felicitatis suæ per prædicationem meritorum atq; decorum Tuorum sæpius admoveri, sic quidem id majori operis mei successu tentare liceret, quando ex arctissima eorũ conjunctione cum alterius partis virtutibus meritisque, & gloriæ Vestræ sublimitas, & præsentis gaudii rationes splendidius elucescere possent. Recenserem Gentis Tuæ divinam originem, gloriosa educationis studia, magnanimitatis, sapientiæ & constantiæ encomia, quibus nec ex-
pectan-

pectandum docuisti aut cursum ætatis in festinatione virtutis, aut numerum annorum in maturitate sapiëntiæ? Prædicaremne omnia exinde gesta, quibus ita apud Exteros, ita apud Cives TE extulisti, ut supra cæteros Tuæ ætatis Principes tantum emineas, quantum à privatis cæteri Principes recesserunt. Sed de his quidem loqui diu non ausim, quod & nota sint, & Tuæ modestiæ sic optimè consuli didicerim, si solis hominum animis inscriptæ laudes Tuæ legatur. Nusquam enim meliùs imago Principis, quam in cordis penetrati dicatur, neque usquam ejus autoritas religiosius consecratur, quam in recessu mentis, in sacrario pectoris, in cujusq; veneratione. Et cepisti quidem hujus rei fructum, quantum maximum vel capere potes, vel exigere: Nec virtus tua ingratos aut malignos æstimatores nacta est, cum & nemo mortalium uni tam dulcis esse possit, quàm Tu omnibus, fama; Tua non tantum orbis incorrupti memoriâ, sed integerrimis interpretibus, jamdum publicis ad posteritatem nunciis constet.

Mihi adhæc in angusto studium, quod dum simul omnia amplecti fugit, ne singula minora exhibeat, satis habet, si, quæ propria huic lætitiæ, quâ additum TIBI mariti nomen, totq; votis & precibus exoptatus cum CELSISSIMA PRINCIPE CONJUGE adventus celebratur. Quanquam nec sic in omnia illius argumenta inquiram, dicendo, quantum vel matrimonium ad caducam & fluxam mortalium conditionem sublevandam faciat. Quam illud in Principibus expectandum, quod non classes non legiones perinde firma Imperii munimenta ac numerus liberorum: Neq; majus Patriæ bonum, quàm ductu & auspicio regis ejus, qui eodem cum subditis cœlo editus arcano quodam necessitatis vinculo civibus jungatur. Etsi enim & hinc TIBI gratias debeamus, quod suscipiendis li-

B

beris

beris optandisque nepotibus seriem generis Tui propagando Patriæ securitati providere volueris, tamen quod & hoc cum aliis commune habes, præterire me non posse tantum sed & debere existimo. Nisi quòd non minus inde virtutum tuarum documentum capere debeamus, quod in hoc ætatis flore animum maritalem formare, nihil de vagis cupiditatibus in sacrum hoc pectus admittens, cæteris quoq; vitæ liberioris commoditatibus sive blanditiis renunciare volueris. Duo illa nunc agam, ut & Te nunquam feliciorum ac nunc fuisse, & quæcunq; ex auspiciatissimo Principis thalamo populo bona, Patriæ abundantissime expectanda ostendam. Atq; inquiet aliquis, quæ hæc felicitas, cum & virtutis Tuæ beneficio jam immortalitatem inter mortales consecutus, & ea fortuna Tua, ut aliam quidem augere, cæterum ipsa in se semper summa consistat. Nihil pecco, DOMINE. Neque enim iniquè feres & hic TIBI devotè monstrasse, quàm manifesta in omnibus factis Tuis divini Numinis indicia enitescant, & ad implendum gloriæ Tuæ ac magnitudinis orbem virtus Tua cum fati conspiret. Accedit arctissime conjunctionis vinculum, quo non dexteram tantum, sed etiam omnes sensus, cæteraq; fortunæ bonæ ita devinxistis, ut quæcunq; in alterius laudem dicta, sibi quisq; imputari lubens patiat, eo quidem certaminis pulcherrimi exitu, ut dum suâ uterq; fruitur & alterius gloria, duplices fructus virtus vestra vobis largiatur. Ut vero quod in me suscepi, probem, magnopere mihi laborandum haud erit. Si enim nobilitas generis, si morum pietas, si prudentiæ si comitatus decus, demum fortunarum splendor, ea sunt, quæ plerorumque mortalium sententiâ cæteris omnibus in hac re jam olim præferuntur, quis Te felicem non prædicabit, cui ea vitæ fortunæq; sociæ contigit Princeps, in qua non hæc tantum, sed & reliqua, quæ

quæ ad celebritatem & amorem facere possunt: Ita scilicet fieri par erat, ut cui Deus prudentiam supra ætatem, virtutes supra seculum, gloriam supra exemplum daturus erat, eidem & de conjugè provideret, quæ ita modis omnibus exornata, ut sui sexus Principes non virtutum omnium eminentia, sed & varietate copiaque superaret.

Non loquar de nobilitate, cum non minus ineptum mihi videatur illam in PRINCIPLE quærere, ac in Sole lumen. Si quis esset, qui ignoraret, eam illâ stirpe fatam esse, quæ præter illustrem superiorum temporum memoriam, tot Reges continua serie DANIE NORVVEGIÆQUE dedit, vel FRIDERICI ILLIUS MAGNI, Parentis sui excelsissimi gloria famaque, ut & hanc ei superesse fateretur, convinceret. Non memorabo nunc ingentis consilii opus, quod in perenne patriæ commodum, in altero orbe perficiendum destinaverat: Ubi & apud eos quidem, quos fastus ab omni ævo suæ genti insitus adversus alienam gloriam aut cæcos aut iniquos reddidit, nomē ipsius summo cultu exceptum nullumque honoris genus omissum, quod non illi cumulatissime redderent, missis etiam splendidissimis Legationibus gloriæ & virtutis invictæ in omne ævum futuris testibus. Nec enim in tam longinqua abire permittunt decora facinoraque domestica, quibus ita quoscunque obstrinxit, ita civibus prospexit, ut nec his major unquam ubertas, nec alii affulserit gloria: Id etiã effecerit in hoc cõmuni patriæ busto, ut nulli magis provinciæ quã suæ, tranquillitas & immota quies steterit. Ut dum neutri parti se applicaret, ea tamen fortuna uteretur, ut neque ex fide, quam summo capiti Patrięque debet, quicquam remitteret, novo etiam atque insigniori fortunæ principalis elogio cumulatus. Quod si olim in vetere Romanorum Republica ad Censorum laudem pertinebat, si lustrum

felix

felix cecidisset, si horrea messis implevisset, si vindemia redundasset, si oliveta larga fluxissent, quid non debebunt huic genii & ævi sui beatitudini subditi, quos non tam integros servavit à belli calamitatibus, quin etiam altæ pacis beneficiis, pereuntibus aliis, bearit. Quid enim aliud integræ urbes conditæ, munita fortissima opportunis locis excitata, ædificia splendida cum multo ornamento regionis exstructa? Annon majori olim ratione inter cætera præclare fortiterque à se gesta ad invidendum Patris Patriæ encomiũ apud cives valebunt, quàm in AUGUSTO ROMA sua aucta ornataq;. Nescio an & de literis ac studiis eruditionis, quibus tam reliquos mortales, quam fortunæ amplitudine antecellit, quid adjicere debeam? Vidimus nunc quidem nullum fere momentum abire, quod non aut illis, aut regiminis curis impendat. Hincq; intra augustam sedem bibliothecam, velut æternum summæ eruditionis ac prudentiæ monumentum instructissimã instaurasse, ac cottidie meliorum ingeniorum operibus cumulare. Manebit interea ea quæ ex se magnitudinem omnem habent, possidere ut magnum, moderari ac tueri ut majus, ita inter discrimina etiam augere, id vero morem ac fortunam regnantium tam excedere, quam huic Principi peculiare fuerit. Immorarer ulterius tanti Principis meritis, si illa saltem in transcurso libare fas esset, nec vel sic me præstitisse crederem, ut illam non possimus non habere nobilissimam, quæ tanto Patre genita & si alia non essent, saltem unam hanc imaginem apud prudentes pluris æstimari debere, quàm vetustissimas multarum gentium ceras.

Quid si jam Serenissimam MATREM adjungerem, quam HÆC TUA non minus nominis successione, quàm virtutibus immortalibus refert? Matrem suavissimã, religiosissimam, Conjugis simillimam:

Cujus

Cujus originem nec cogitare possumus, ut non simul omnia Majestatis pignora, omnia glorię instrumenta, omnia venerationis insignia concipere debeamus. Gentem Saxoniam dico quam sic laudamus, ut simul & Tuam gentem laudaverimus, ex quo ut perpetua fere inter utramque factorum egregiorum societas, ita quam arctissima semper sanguinis necessitudo.

Quo & minus necessaria hæc mihi videtur apud Te oratio, quod uterque ea gloriosum stemma contingatis propinquitate, atque inter vos ea sanguinis intercedat, ut jam timendum nobis esset, ne felicitati nostrę obstarret; Sed bene cessit res, ut postquam ubique omnium rerum, sanguinis, virtutum, fortunarum similitudo inter vos cœli providentia sancita, tantum tamen discriminis adhuc intercederet, quò omnium necessitudinum, amorum, fortunarumque complementum accedere posset matrimonium. Atque tantum abest, ut quid hic ex præscripto fortunę vestrę actum existimem, quippe quòd & de cætero optimi Principes sibi quam minimum licere velint, ut & hic quid altioris providentię agnoscam: Nempe ne quicquã deesset, quod ad amorẽ incomparabilem memorandumque omnibus seculis deesset, & sanguinis quoque potentissima in animis hominum vis intervenire debebat, ut jam vos amare inciperetis, priusquam quid amor esset, intelligeretis. Simul & illud pietati Parentum vestrorum felicitatis, ut diu frui possent expectatione voti, quo harum nuptiarum gaudia destinabant, contingeret.

Cæterum ea plerorumque mortalium indoles, ut prius de fortunæ corporisque bonis solliciti esse soleant, ac iis in quibus verę felicitatis, in quocunque demum vitę genere id fiet, munera consistere, omnes tandem fatentur cogimur. Ultra hanc curam vos dignitas fortunaque vestra constituit: Memoravit tamen & illa, quod ubi cætera adfuerint, & ea in partem laudis venire possint,

C tum

tum quod volui, etiã ad sensus cujusq; T^e felicissimum sic esse probarim. Neq; enim quod illud attinet, in totum aberrare mihi videntur, qui naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum competentia metari, & ex facie hominis ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cœlestis spiritus intrarit habitator, autumant. Sive jam divinus ille animus pro creatoris arbitrio dignum sortiatur hospitium, sive aliud ex altero creascat, ut cum se paria junxerint, utraq; majora sint. Illud constat, eam rem ad decus Majestatemq; conferre & totas olim Gentes credidisse, atq; in eligendis Regibus etiam spectasse. Nihil vero hic deesse Tuæ, quanquam ex adverso recensendo illum augustæ frontis honorem, illum oculorum ardorem, illas amore Tui tinctas genas, illam oris venerabilis comitatem, atque plane formam illam, quam dignam Principatu, rerum auctores censuere, facile cuiquam persuaderem, malo tamen, ut hic nō tam me audire velis, quam recordari illorum studiorum, gratulationum, quibus ubiq; illam cultam audivimus: Cunctis, tāquam ad benignitatis thronum, ad singulare virtutis specimen, ad orbis delicias concurrentibus. Aliis fortunam ipsius, aliis comitatem extollentibus, atque cujus tam augusta esset forma, quam confessa divinitas.

Sed ut dixi, hæc apud cordatos rerum iudices nunquam tanti haberi possent, nisi & cætera mentis bona adessent, propter quæ hæc pretiosa habentur. Etsi enim maxima sint, sunt tamen ambigua bona, neq; aliud æque nocentius, quam si in animum perperam usurū inciderint. Perfecta illa pulchritudo est, quæ ex mente venit. Hæc vero & talis Tuæ contigit, qualē veluti cœlo missam venerantur magis optimi quique, quam capiunt, omni mortali contagione prorsus secreta, radicibus pura, tota Deo plena; quam & in tenera ætate fatis clarè prodidit, deinde succrescentibus annis, atque accedēte sanctif-

sanctissimæ educationis cura, sic virtutibus, sic bonis artibus auxit, ut nulla pars suum locum ornatuæ cognitionis, nulla ex universo virtutum choro, quâ Ipsa non præfulgeat. Suffecerit unicè hic pietatem nominasse, quòd hanc præsentis felicitatis Tuæ conciliatricem & solam esse radicem virtutum cæterarum omnium, moderatricemq; omninò credere debeamus. Inde enim, quod amicas virtuti, vitiis inimicas artes in complexu, in oculis, auribus, habeat: Inde, quod ab omni luxu abhorrens, modica cultu, verbis, gestibus religiosa. Inde, quod summâ in Te veneratione, atque nihil sibi ex fortuna Tua, nisi gaudium vindicet: Inde, quod in bonos munifica, erga omnes humana, magnanima, hilaris, erecta.

Hæc verò omnia cum talia, qualia votis quamlibet avaris quis optare possit, & tamen longe in se majora, longe etiam plura, quam mihi dicta, aut dici potuerunt, in hac Tuâ miremur, colamus, quis in dubium vocare cupiet Te nunquam magis ac nunc felicem esse. Felix fuisti, cum in hanc lucem venires statim purpura exceptus, ut non fortuita hominum consensio, non repentinus aliquis favoris impetus Te Principem fecerit, sed Imperium nascendo merueris. Felix, quod ea jam domi parta susciperes, quæ felicissimi quiq; vix totius vitæ laboribus consequuntur. Felix, quod eâ mētis magnitudine à Deo donatus, ut quod aliis non nisi summo studio cōparatur Tua natura esset, eâ rectitudine, ne aliquid velles, quod non oporteret, nec aliquid non posses, quod velles. Felix, quod ipsa ortus Tui sublimitate fultus, per ardua jugaque niti, atq; quæ summa sunt non sperare, sed mereri malueris. Quòd summorum Principum amicitiam, omnium amorem, Tuorumq; civium fidem sic Tibi devinxeris, ut in hac ætate tam supra laudis exemplum, quam fortunæ fueris. Et tamen quæ Tibi hæc, quæ nobis felicitas nisi ad augendâ sollicitudinem nostram

quòd

quòd omnium dierum experientia confirmarit, summis quibuscunque maximè imminere fortunam? Unicum itaque firmandæ continuandæq; ejus felicitatis adjiciendum erat medium Conjugium? At quàm multis etiam summis Principibus dedecori fuit aut inconsultius uxor sumpta aut retenta patientiùs? Quot foris claros domestica destruxit infamia, & ne maximi haberentur cives, hoc effecit, quod mariti minores fuerint? Habet non raro & hoc fortuna vestra, ut privati illi adfectus, quibus hæc fœdera expetuntur, exuendi sint, atq; illa pulcherrima censenda affinitas quæ utilitate potius, quam amicitia nitatur: Tristis hæc abfuit necessitas, accepisti eam, quæ sic nata, sic educata, sic vivit, ut in decus ac gloriam tuam successerit, quâ eæ Tuis junctæ virtutes, ut quæcunque tandem nos exercuerit fortuna, hoc unitarum virtutum fulcro cum Deo sustineri possimus.

Antequam vero sic ad alteram orationis meæ partem veniam, patere SERENISSIME DOMINE, ut paulatim hinc deflectam, aliòq; sermonem meum vertam: Id nunc sæpius commonuisse necesse fuit, hanc quidè felicitatem non nisi ad DEUM referri posse. Nam si quid patri familias bene processit, si quo periculo aut morbo perfunctus est, si partus vitalis, si puerpera incolumis, si rure salva res, si inquam id acceptum Deo ferri videmus, vota nuncupari, donaria persolvi, gratias haberi, quæ dubitabimus, cujus istud tantem munere concessumq; contigerit matrimonium, quo neque nobilius ad gentis Tuæ splendorem, neq; certius ad salutem Ecclesiæ, Reipublicæ, omniumq; exoptari potuisset? DEUS, DEUS, qui causam DARMSTATINAM, peculiari cura in hac temporum inclinatione adhuc complexus, qui LUDOVICUM præter Principes complectitur, hac parte noluit utriusque mancam atq; imperfectam felicitatem videri. Quid universi publicè præstiterint novimus, quid unusquisq;

priva-

privatim, cujusque pietas, & modestia me sciscitari vetat, confirmare tamen possum, cum omnes quotquot Tuæ causæ fideles sumus, in hac una re efflagitanda assidui fuerimus, tum nostrum non paucos his annis nullum intermisisse diem, quin commune hoc patriæ negotium Deo commendarent. Erat videlicet illud commune omnium desiderium, ut quamprimum prolem ex immortalitate digno, & propter quem omnes mori discuperent, Principe videremus, tamque immortale esset hujus Domus regimen, quam sempiterna Principum soboles. Nec tamen ideo rationes humanas negligere debemus, quamvis cœlestis favoris conscii. Et impii essemus nisi hoc divini Numinis munus ita interpretaremur, ut in his terris omnem illius gloriam Serenissimi Parentis Tui curæ benignitati, virtuti, æterno devotionis cultu transcriberemus. Longè foret recensere beneficia, quibus, ex quo veluti salutare astrum illapsus Patriæ, omnes singulosque affecit. Scimus amore populi illum nihil non aggressum esse, ejusque curam pro salute singulorum & universorum excubare cottidie. Quod si nihil aliud, quàm Te filiū nobis dedisset, atque exemplo suo, sollicità ad eò rerum omnium curā imbui curasset, jam satis esset, cur non tantum inter felicissimos, quos patria unquam suspexit, numerare Principes, sed etiam aliis antepondere deberemus. Quis vero de hoc nunc amplius dubitabit, postquam & illud adjecit, quo cæterorum omnium fructus continetur atque perficitur? Sanè uti nihil majus ab ipso expectare poteramus, ita nec quid Ipsi lætius apprecari nos potuisse, quàm hoc ipsum, quo nunc fruitur gaudium, & Patris in filium, & Principis in Rempublicam adfectus, hæerere prohibent. Quid enim gratius, quàm videre, quàm amplecti filium, quem nihil ad ultimos votorum conatus reliquum fecisse videret, illo donatum, quod unicū pa-

D

terno

terno officio relictum videbatur? Quid lætius, quam post restitutam Inclytæ Domus pacem, post assertam fortiter religionem atque Rempublicam, post restaurata literarum cæterarumque pacis artium ornamenta, suis quoque pariter de securitate gloriaque prospexisse? Quid dignius providentia sua, quam illic pulcherrimū destinasse foedus, ubi jam pridem ipse affinitate junctus, nihil charius dare aut recipere poterat? Maeste hac Tua Tuorumque felicitate **PRINCIPUM MAXIME.** (Nec enim apud Filiū vota nuncupantem respicere dedignaberis.) Maeste inquam, & diutissimè gaudis fruire, quæ Tibi cæli favor, quæ virtus Tibi paravit. Sit perpetuum Tibi hoc gaudiū, ut quæ nunc illius causa, auspiciatissimi hujus foederis pactio, ea & imposterum lætissimorū aliorum nūcios paret, & festa gratulationum officia nobis semper suppeditet. Fateor **SERENISSIME PRINCEPS,** mihi modestius agendum esse. Sed quid mirum, si ex præsentis diei lætitia alas quasdam conceperit oratio, atque gratulationum plausu abrepta in sua sede consistere haud poterit. Quo quidem & illud effectum video, ut quod in altera ejus parte mihi dicendum præfixeram, jam in superioribus maximam partem præstiterim. Dum enim & clarum genus, & potentiam magnam & famam secundam, & mentis vim, & religiosam pietatem, prudentiam, magnanimitatem, humanitatem in vobis ad invicem certare supra constitit: Dum in hoc thalamo vestro nil nisi divinum agnoscere possumus, siue causas, siue media, siue progressum expendamus: Dum ubique paria omnia, Regia omnia audimus, & quæ junguntur paria, & quæ paria, summa esse, certa satis inde peculiaris felicitatis argumenta nos deducere posse quis negabit? Certiora utique, quam alii vel anxiam horarum, temporumque dimensione, aut vana olim gentilitas à **Coturnici-**

turnicibus aut turturibus suis. Quod si enim nemo aut
 plura à divina benignitate ferre, aut digniora debet,
 quam pius, quam clemens Princeps: Si virtus est, cui
 subjacere solent hæc inferiora omnia, jam & nos sum-
 ma quæq; expectare debemus, adversa nec timere
 possumus. Etiam quod fœcunditatē attinet, cum &
 numerosa soboles, & geniti genitorum, & duraturum
 per posterorū ætates omne genus, inter ea sint, qui-
 bus & virtutū & præceptorū suorū custodes, id est Tui
 simillimos Sator rerum beare promisit. O auspiciatissi-
 ma igitur & non in brevis ac temperarii boni spem, sed
 in augurium & minimè fallax felicitatis perpetuæ
 omen, vestrarum nuptiarum pactio. O lætissima sem-
 per hyems, quæ licet solem subducens terris quodam-
 modo annum effœtum reddat, hîc tamen plus nobis
 præstitit, quàm sol, quàm annus. Felix & dies illa, quæ
 Te patriæ cum tanto sydere obrutibus nostris veren-
 do salutis atque securitatis nostræ pignore exhibuit
 reddiditq;. Cedat amœnitas florū, viriditas segetum,
 vitium voluptas, cedant favonii, lux serenata & quo-
 cunq; demum sive Ver sive Æstas superbire solet: No-
 bis hæc lux perpetuo venerabilis erit, quâ meritò
 quondam omnia nata esse credentur, quum eadem
 nunc confirmata esse videamus.

Ut ut verò nemo sit, ad quem hujus felicitatis Tuæ
 fructus aliquis redundare non possit, ne quid tamen
 dissimulè, Musæ sunt, Serenissime PRINCEPS, quæ uti
 cæteris effusius ardentiusq; Tuâ hac felicitate lætan-
 tur, ita sibi inde maxima cur promittât, peculiarè cau-
 sam autumant. Non eò tantum, quod nulli plura de-
 beant, ac Genti Tuæ, indeque non possint non sum-
 mopere lætari, illam sic sibi salvam florentemque per-
 ennare, sed quod & hanc ipsam Celsissimam Conju-
 gem Tuam illis egregiè favere, delectari etiam, bo-
 norumque authorum lectione horas frequentissimè

conte-

conterere audiverimus. In quo cum & Inclyti Paren-
 tis ante nobis memoratum exemplū sectetur, Tuum-
 que, fore sperant, ut ad beneficia illa, quibus jamdum
 benignitate Tuâ refocillatæ, pristinum vigorem
 mox plenè recipiant, atque decôra & ad laudem nata
 ingenia è tenebris, quæ vix adhuc dum se inveniunt
 eruantur. Sed admonitus instituti ratione, atq; ve-
 neratione Tui fastigii, finem dicendi facio. Tuæ cle-
 mentia erit pietatem agnoscere, nec quid, sed cui & à
 quo dictum fuerit. In votis ambitiosus non ero, nec
 esse potero, cum nulla alicujus felicitatis obtinendæ
 formari possint, quæ jam non præceperimus. Vove-
 ant alii numerosam sobolem & cum ea PHILIPPUS,
 WILHELMOS, LUDOVICOS, GEORGIOS, FRIDE-
 RICOS, Mihi in præterita animū intendere, ubi fulgo-
 re præsentium obruimur, insolens videtur. Cum enim
 Te maximum esse constet, quales quantosque natos
 putarimus, quibus imposita duplex necessitas erit, ut
 & partam à Parente gloriâ, si degenerare nolint, tueri
 debeant, & tantundem adjicere, si eum æquare ve-
 lint. Voto simplici finio, ut DEUS TIBI faciat secun-
 dum promissa oris sui: Sic vivetis, sic florebitis, nec
 sequentibus annis sua deerit felicitas, nec nobis cau-
 sa, hunc diem, quo ejus spem Patriæ erexistis,
 sæpius celebrandi.

F I N I S.



oriri videantur Soles. Diu, SERENISSIME DOMINE
 pugnaverunt in
 Ut felicitatem h
 nit, deprædic
 meam in publi
 Ille vero ad
 rem oculos att
 enim eloquent
 aut tempori gra
 Tuis facultate
 pibus existimar
 pellat objecta v
 TE colere vide
 fit. Et sane inger
 luissem, nisi ne
 eum, quo null
 quam sensit. Hi
 grati fama esset
 in facundus, qu
 reprehendi ten
 veniam pietati
 promere coner
 aliquid & parv
 amans Tuorum
 Unde vere
 hil illustrius ad
 contingere po
 nem meritoru
 neri, sic quiden
 liceret, quande
 alterius partis
 sublimitas, &
 lucescere posse
 originem, gloriosa educationis studia, magnanimita
 tis, sapientiæ & constantiæ encomia, quibus nec ex
 pectan-

